F A M A
Triumphantis Sanctimoniæ
D. JOANNIS NEPOMUCENI,

Sacræ The: & I.V. DOCTORIS,
CANONICI Cathedralis Pragensis,
Thaumaturgi, ob servatum Sanctæ Confessionis Sigillum
MARTYRIS, famâ periclitantium Singularis

P A T R O N I

à Romanis Collibus
viva voce

S. D. N. BENEDICTI XIII.

ad Turres
Metropolitanæ Vrbis Cracoviensis

R E F R A C T A.

Orbe Vniverso Resonans
Dum
Solennis Ejusdem Sancti
ad Ecclesiam Divi ADALBERTI, in Circulo Cracoviensi,
promotione Confraternitatis Literatorum, & aliorum Cultorum,
ex Basilica Cathedrali Cracoviensi fieret
I N T R O D V C T I O.

A

M. MARCO ANTONIO KARGOLEWSKI,
Artium Liberalium, & Philosophiæ in Alma Vniversitate
Cracoviensi DOCTORE & PROFESSORE.

brevibus paginîs

C E L E B R A T A.

Famam & Salutem Generis humani Reparantis DEI Hominis,
MDCCXXIX. Die XVII. Septembris

O V I Æ, Typis Jacobi Mátyaszkiewicz S. R. M. Typographi.

Qui ſolitus Famæ cunctorum vota tueri
Haud Famam vitæ poſcis habere Tuæ
Sed vanam mundi cupiens excedere laudem.
Extendens palmas, tendis ad aſtra Poli
Hinc magis inſpiciet mundus Te Sancte Patrone
Qui Sancta vitâ, clarus in Orbe nites.

Augustissimæ Cæli Terræq;
DOMINÆ
Immaculatè Conceptæ VIRGINI
MARIÆ,
DEI Hominis MATRI,
MARTYRUM
REGINÆ.

SAcratissimo pedum Tuorũ calcaneo, quô ad salutem generis humani caput Serpentis contrivisti, cui se Luna inflectit ac arcuat supplantanea, & tam Cælum quàm terra supplex adorat, non profanum sed Sacrum opus utinam te Regina dignum unâ mecum substerno. Siquidetenim vel ingenij hominibus, vel fortunæ suppetit id Tibi post DEUM uni debemus, per cujus manus omnia à DEO accepimus. Verè MARIA *Nomen Sanctum Tuum, inexhaustum gratiarum Cælestium pelagus, in quod Ganges*

Hydaſpeſq́; Divinorum beneficiorum, unde ditemur, delabuntur. Depromant ſæcula, quinimo æternitas tota, ex Te pretioſiſſima neceſſitati & ornamento cymelia, Tu ex intemeratis viſceribus Tuis, quà terram Cælo, hominem DEO *nexuiſti ſuggeſiſti hypoſtaticam unionem digna ex* Ancilla Domini *fieri* MATER DEI, *ex ſtatu Creaturæ, in ſolio æterni Regis collocari. Tua ſunt omnia, quia à Te, etiam & Divorum Sanctitas, & invicta Martyrum fortitudo. Famam triumphantis Sanctimoniæ* D. NEPOMVCENI *per Eccleſiam approbatam, vivæ vocis oraculô ſummi in Terris Filij Tui Vicarij declaratam benigna ſuſcipe. Vt viveret Orbi* IOANNES *fæcunditas ſterilibus Parentibus per Te à* DEO *impetrata, ne immaturè ingraveſcente morbo obiret, & ad meritum Sanctorum perveniret. Tu languenti incolumitatem tribuiſti. Vixit ad Doctorales laureas, ad Eccleſiaſticas illaſq́; Cathedrales functiones, vixit deniq; ad Martyrum immarceſcibiles palmas, abſq́; dubio Tuo ſpiritu, quia totus quâ vitæ innocentiâ, qua erga Te ſingulari devotione Marianus. Propè eundem participem gloriæ Tuæ eſſe voluiſti: Tibi coronam Stellarum duodecim Cæli, illi Stellarum quinq́; inter undas ſuperfuſo Sacro Corpori nexuerunt. Donum Tuum gratioſum* IOANNES, *Tibi redeat in munus, grata* DEO NEPOMVCENVS *Martyr hoſtia, meritò Tibi Matri offeratur, Ergo* NEPOMVCENVM *reſpice tecum in Cæleſti triumphantem Patria & unâ cum illo Famæ illius precones benedic ac tuere viatores.*

FAMA
Triumphantis Sanctitatis
D. JOANNIS NEPOMUCENI,

Sancta D. JOANNIS NEPOMUCENI Nativitas, precibûs piorum Parentum à B. V. MARIA impetrata.

Singulare pretium Orbis Nepomucenus,
carò à Cælis emi debuit quia precibûs
Nam veluti naturaliter ſuperi Ioannem nobis inviderent,
nonniſi eum dedere Parentibus per MARIÆ gratiam.
Emiſſæ ſunt tot voces verſùs aras,
ut hic Myſtes naſceretur,
tot ſuſpiriâ alto de pectore ducta,
ut cordis humani delicium; iam tandèm oculis ſpectaretur:
Qui tot votîs, tot affectuum motibûs poſcebatur.
Recurrunt pia ſolicitudine Parentes,

ad DEI Genitricem
Qui per manus MARIÆ omnia à DEO dari hominibus norunt
per easdem suæ sterilitati,
Saltim unicum poscunt dari IOANNEM.
Fons signatus MARIA speciali privilegiô
ad vota enixè petentium reseratus,
hunc laticem, Orbem totum Sanctitate sua non latentem fudit,
cùm sua intercessione Divum mundo intromisit.
In quo igitur defecerit natura,
in eodem superabundavit MARIÆ gratia.
Miraculum fuit exultasse in Vtero ELISABETHÆ
ad Marianum adventum Infantem Baptistam,
& iam venisse NEPOMVCENVM sterilibus Parentibus
ob MARIÆ gratiam penè prodigium.
Ille ut una vox Clamantis fieret & quidem in deserto
hic ex concinnis vocibus publica totius Orbis Fama:
ille ut peccata palam argueret, hic ut celaret.
Genus viperarum (Herodem intelligo,) ille pressit,
hic coronatum triplici diademate monstrum VLADISLAVM,
servatô Sacræ Confessionis sigilliô confudit.
Famæ Patronus singularis,
ope MARIÆ tantùm nesci potuit & debuit,
quæ sine labe concepta.
Primorum Parentum infamiam,
omnes posteros Adæ afficientem delevit.
Aurora consurgens!
Lucina NEPOMVCENO fuit commodissima,
ejus gratiâ sibi prodromante,
lucem

lucem genitus aspexit
tota vita solem Iustitiæ contemplatur.

Sanctam D. JOANNIS NEPOMU-CENI Nativitatem, lumen Domui illius circumfusum, prodigiosè demonstrat.

Adeste huc curiosi Astrorum observatores,
cùm IOANNES nascitur.
Lux Domui circumfusa exoritur,
novas formate prognoses.
Infanti servio Tullo, caput dormienti arsit,
futurum lumen Romani Regni,
à Vatibus definitus.
Nascente IOANNE, lumina emicant;
in lucem gentium & Imperiorum assurget.
Veniet tempus, adlabetur ille sæculi tractus,
quo primæ Magnitudinis sydus demonstrabitur.
Virtus illius ac integritas ita radiabit
ut ab oriente in occidentem,
à meridie in Septemtrionem, appareat spectatori
oculo lucidissima.
Conjunctum Sacra unione
Soli Iustitiæ
Phænomenon IOANNES,

in perpetuas lucebit æternitates;
etsi quempiam hominum errare contigerit,
per NEPOMVCENVM Famæ suæ Patronum,
in viam Salutis æternæ,
in boni Nominis iter dirigetur.

Sancta D. JOANNIS NEPOMVCENI, sub cura piorum Parentum pueritia.

E Cælo nacti IOANNEM Parentes,
Ei Cælo convenientem præbent institutionem;
renatus aqua baptismali,
Aquarum Martyr futurus:
levari debuit ab hoc fonte, ut ad meritum
ipsi cessisset submersio.
Janua Sacramentorum Baptismus, ideoq; & meritorum;
gratis laboraremus, si nobis hæc gratia prima non daretur
nihil quidquam proficit, si hoc unicum donum deficit;
renasci ex aqua & Spiritu Sancto convenit,
si ad gloriam æternam emergere,
& puris illis Spiritibus Empyrei Incolis
purissimoq; Actui DEO T. O. M. jungi exoptamus,
gratiæ Divinæ rivô lavatus IOANNES,
semper candorem innocentiæ retinuit.
Solutus crepundiîs infantilibûs,
sed non ad puerilem juventam;

totus in DEVM compositus
ad normam senilis pietatis
Manus cæterosque artus formavit puellus:
crevit ætate, sucrevit pietate.
Domum DEI Ecclesiam
magis quàm Parentum adamavit ædes,
ex his ad illam semiduobusmilliaribûs distantem
quotidie decurrit devotione promptissimus
suo tempore Mystes sacerrimus.
DEO oblaturus hostiam
Continuum Mystis se præbuit ministrum.
sacrificio tremendo duxit inservire
non sine religioso timore.
Ad Thaumaturgam Virginis Imaginem
cor suum pro devoto Anathemate appendebat,
nonquam longum censuit tædium
diutissimè assistere Ecclesiæ ministris,
ad meridiem protensa devotio
non IOANNEM vidit à pietate remissum
Post Sacras oblationes pluribus Præsbiteris
affirmantibus Missa fuit
altare IOANNES non dimisit.
Vix iter versùs Domum arripuit,
Cum in ædibus marianis cursus Missarum
sibi ordinate succedentium cessavit.
Crepusculum IOANNEM Domô expediit quem vix meridies

 à tem-

a templo amovit, veſper redeuntem
Domi ſuæ excepit.
a Poſporo ad Heſperum
Semper eundem retinuit IOANNES tenerrimus tenorem,
Illi per ſacrificia elabebantur horæ
& momenta per paſſus huc euntis
indeq; redeuntis effluebant.
ſtrenuus in parvo Corpore Athleta.
cum ipſis ſuperis concurrebat,
qui ut ſemper Divorum eſset inquilinus
quotidie voluit eſſe peregrinus.
Deficientes continuò itinere vires
Deficiente uſque ſole refecit,
Vniusque diei cibus fiebat alterius IOANNI Viaticum:
Qui teſte Sole pro Cælo multa per diem egit,
Spectantibus usque Stellîs
absque prandio, merendaque
meritiſsimus Adoleſcens parciſsimè cænatus.

Sancta D. JOANNIS NEPOMVCENI ſtudia Academica promotio, & Doctoralis in Cathedra Pragenſi honor.

Domi Sanctis moribûs imbutus IOANNES
ad ſcholas literis tendit informandus.
A principio Sapientiæ Timore inquam Domini
audacter in Scientias Divinas humanasque proceſsit.
Illuſtre tum fuerat Pragæ ſtudium

non

non tantùm Bohemici Regni, sed & confinium Regnorum
cummune atheneum
Caroli IV. Imperatoris fundatione opulentum
Professoribûs & Discipulis crebrum.
In hoc IOANNES tam dextre studuit
ut laureas etiam mereretur Doctorales.
qui totum mente volvebat DEVM
facile in laureatum evasit Theologum
toto corde justitiam dilexit.
magis in candido pectore quam in Corpore Iuris
habuit descriptam æquitatem
S. The: & Iuris utriusque Doctor proclamatur.
Quòd erudierit ad justitiam multos
Doctorale Caput ipsius signum est
inter radiantia Cæli radiantis quinque Sidera Splendidum
lucens in perpetuum.
Hæc itaque Sancta eruditio gradus illi effecta fortunatissimus
ut in Pragense Sacrum Capitulum
an honoris sui Capitolium conscendisset.
Canonicus morum Canon, probitalis Idæa
Mystes devotissimus
Aris cum profundo præsens cultu, superis cum accenso
Zelo, proximis cum fervente charitate.
Nempe
in omnium se obsequium ordinatum
autumans Presbyterum
inter Deum & Homines egit Mediatorem
dexterrimum.

Sancta D. JOANNIS NEPOCENI erga Beatissimam Virginem MARIAM *Devotio, & crebra in montem viridem peregrinatio.*

Precibûs Deiparæ impetratus, in Orbem
ut nasceretur, IOANNES (omnino in
preces) erga MARIAM debuit
esse promptissimus.

Quisq; suo principio multa debet
ita IOANNES cùm vitam debuit MARIÆ,
etiam & totius vitæ dicasse illi debuit Orationes.
Felix Sanctaq; IOANNIS Oratio
nam quotidie Mariana.
Sancta suspiria, Sacra & vota
nam ad MARIAM Castrorū Aciem ordinatā
directè ordinata.
Proximus Pragæ Mons Viridis
Thaumaturga Virginis Beatissimæ Imagine
Celeberrimus
Sæpe IOANNEM ad se advocabat:
Ibi Sacris operari, preces fundere, DEVM pro Regno
deprecari IOANNI Solenissimum.
Ab Vrbe quam incolebat remotus
Ipse

Ipse IOANNES Civitas fuit
in hoc Monte, non abscondita.
Hac seria erga MARIAM devotione contra Averni
& mundi strenuè decertavit hostes, & semper
vicit gloriosè.
Etiam & silendo triumphavit; quia ante multa
erga MARIAM piè dixit:
tacendo opposita argumenta refutavit
pro quo MARIA
apud supremum Tonantem,
contra adversam Illi Gigantomachiam,
non iam verba, sed fulmina; Virgineo ore detorsit.

Sancta Eleemosynarum in egenos Divi
IOANNIS NEPOMUCENI
distributiò.

Vocatus in aulam Regis.
Eleemosynarij Regij nanciscitur functionē
ad quam planè natus IOANNES, non assumptus;
hoc primum in votis habuit;
ut semper satisfaceret pauperum desiderijs.
Sua erogabat celeriter
pariter invitatus, & aliena promptè:
qui ex proprijs tenuibus beneficijs multa præstabat
non invenio rationem
quare ex Regijs tam amplissimis proventibus,
D indi-

indigentiæ alienæ quidquam denegaret:
Gratia IOANNES, omnibus, sed maximè indigentibus,
præsentissima.
per eum aditus ad Regem felix,
ad Regias gratias favoresq; apertus.
Qui ferream fortunam per eam ad aures Regias detulit,
auream reportavit;
qui se se Irum coram IOANNE confessus,
Cræsus mox exultavit.
Rex quidem dedit, sed ad preces per manus IOANNIS,
æstimabaturq; ex æquo, ut liberalitas Regis.
In Manus IOANNIS,
certè dextre cessisset Regi
cum tali thesauri sui Dispensatore,
si post sinistre multa de Conjuge opinatus,
ex integerrimo Eleemosynario,
ob servatum Sanctæ Cofessionis Pœnitentiæ sigillum,
non fecisset Martyrem.

Sanctus honorum in Divo IOANNE NEPOMVCENO contemptus

In Sanctis summus honor,
contemptus honorum;
tum ascensum merentur, cum ad infima pro DEO
& proximo peragenda descendunt.
Non se Eliam, Moysem vel Messiam,
IOANNES Baptista, Pharisææ interrogationi respondit
vocem

vocem tantum Auræ faſſus
eò nemo major ſurrexit.
NEPOMVCENO vilis de ſe æſtimatio;
pretium conquiſivit,
& dum honores fugeret, in Divi honoris loco,
fuga eundem ſtare fecit.
Offerebantur Prælaturæ, plura ad eum cóncurrebant beneficia;
hîs attolli minimè IOANNES cenſuit,
Verùm ſi officium aliquando offerebat ſe arduum,
hoc aggreſſus IOANNES fortiter,
minimè ad proventus conſequentes reſpiciens.
Invitabatur á VENCESLAO pluribûs titulîs,
ut ſigillum Confeſſionis fregiſſet.
Abeant inquit honores, ſtet ſuus Sacramentô honos,
Pro læſa Confeſsione maximæ opes accumulati honores,
productior ad decrepitum ſenium vita,
non videbantur NEPOMVCENO
Congrua ſatisfactio.

Sanctæ D. JOANNIS NEPOMV-CENI Conciones.

In vinea CHRISTI non mercenarium ſe ratus IOANNES,
ſemper fideliter laboravit,
omne opus aggreſſus, quod DEI Sacerdotem concernit.
Mercurius
quam conquiſivit in Scholis eloquentiam
D2 eam

eam Sacros indutam sensus,
edocuit in Templis Ecclesiastes,
Verba Illius nonnisi sanam doctrinam sapiebant.
Hæresi (cui nullum verum svave) nociva
Fidei orthodoxæ, saluberrima.
Hic effectus verbis fuit, ut etiam duros peccatores
suo eloquiô emolliens
eos ad cognitionem suorum peccatorum
ad fundendas lachrymas cōmoveret.
Tanta in Eo vis dicendi fuit, tantum in eloquendo robur
quia etiam in omni actione IOANNIS;
mira virtus cernebatur.
Prius ille docenda fecit & expresit in se proponenda
Tum deinde auditori patefecit
cùm quod pium, quod Sanctum perfecisset.
Gladius Verbum DEI
Lingua IOANNIS NEPOMVCENI acies
his omnia perplexa solvebantur;
hîs triumphi Eccesiæ parabantur militanti.

Sancta Divi JOANNIS NEPOMVCENI Mors.

Mors certa omnium spes & eventus,
nemini tamen in Orbe absq; singulari illaq; servili
advenit causa.
Datur passim ab hominibus in omnibus ratio obitûs,
licet

licet mors ſit omnino ſingulis inevitabilis
De morte id ſentiendum naturali hominis
Non violenta Martyris
Sponte mortuus IOANNES.
Mori maluit quam vivere labe peccati notatus;
connexa fata IOANNIS cum ejus exortu.
E lachrymis emerſit Parentum
aquis tandem ſubmerſus impiorum.
Dolebat una Domus quòd non naſceretur;
Indoluit tota Metropolis Bohemiæ Praga
quòd tam dolendo obitu mortuus.
Pænitentia utique ſecunda post Naufragium tabula
hæc IOANNI naufragium vitæ temporalis
ſed portus æternæ extitit fortunatus.
De ponte præcipitatur
Qui nihil temere nihil præcipitanter egit in vita
quia ubi ſilendum fuerat, non locutus
ubi tacendum ad Dei gloriam, ad proximi
ſervandum honorem planè obmutuit,
Auguſta verè IOANNIS mors, ſuſcepta pro Auguſta
ceſsit uni Conjugi ad honorem
alteri ad perennem infamiam.
Hic Venceslaus Princeps fuerat
qui ſi tempore Ethnicorum imperaſset
ſufficeret pro Nerone.
imo magis in deterius
Nam non confeſsionem fidei ſed Conſcientiæ Catholicus Rex
extorquebat

 ſolus

320

ſolus corda novit DEVS
quare in illa Cæſar imperium vendic bat,
Verba Confeſsionis Sacræ Nummi inæſtimabiles
qui in cenſum Cæſari non penduntur
tot vectigalia habuit Imperator.
miſer tributum verborum expoſcebat.
Submerſi de Ponte Pragēſi IOANNIS hæc vindicta Divina
fuit, detruſus trino Soliô Venceſlaus
Fide ſe illi tot Vrbes, tot Provinciæ ac Regna ſolverunt
qui non confidens conſcientiæ conjugali
ſcire hoc voluit, quod noſse Sacrilegum illi,
tacere verò IOANNI Sanctum in æternum.

Sancta D. JOANNIS NEPOMUCENI Lingua ab aliquot ſæculis incorrupta.

Totus IOANNES miraculum fuit cùm viveret
& eſt adhuc Lingua illius incorrupta quam miremur
Corpus aqua ſuffocavit
Terra in cineres reſolvit
Linguæ nec quidquam nocuit.
Scrutari non licet Divina myſteria
Sacramentum hic magnum eſt
& quidem Pænitentiæ per IOANNEM integre conſervatum.
Lingua hæc cùm vixit, mortua
cùm mortua eſt, vivit,

Cùm

Cùm viveret tacuit, dicit cùm non vivit
magnalia DEI.
Paucorum dierum taciturnitas miremini!
tot iam ſæculorum fit eloquentia
in Schola ſilentij erudita.
Pluſquam Tullius, Demoſthenes, Hortenſius
ab alijs membris deſerta
Suorum encomiorum diſertiſſima
Innocentiam IOANNIS prædicat
Peſtem honoris, livorem de tot Perſonis, Domibus, Vrbibus;
Provincijs pellit, & cum Sanguine recenti rubet
evincit.
ut calumnia erubeſcens
ruborem innocuis non incutiat
Quid hic Hæreſis in uno Circuli Germanici angulo
& quidem Bohemiæ contiguo
enata dicis
ſi oſſa Sanctorum adoranda colendaq; prohibes
prohibe hanc laxam dicendi licentiam.
Nam vivit adhuc contra Te Pragæ IOANNIS Lingua
membrum expers oſſium
Os Sacrilegum compeſcit Tuum
& ut ſileas ſvadet, ne acrius contra Te
vel in extremo Tribunali detonet
quæ tanta contra amicos DEI homines
blatteras potius quàm humanè dicis

Sancta Summorum Pontificum CLEMENTIS XI. INNOCENTIJ XIII. & feliciter moderni Sanctissimi Domini nostri BENEDICTI XIII. erga D. IOANNEM NEPOMVCENVM benevolentia.

Suprema Orbis Vniversi Capita
quæ nihil in terris nisi Cælestia cogitant
pridem in mente NEPOMVCENVM habuere.
Vocem populi, vocem DEI
CLEMENS XI. existimans
Immemorabilem IOANNIS cultum approbavit,
& qui supra suos Albanos montes
Patritium sidus fovebat.
Cum sideribus, cumq; radiis IOANNEM exponi non negavit,
Annuit, ut sacra ejus sublevarentur ossa,
ut per Regnum Bohemiæ & Dominia Domûs Austriacæ
tam officia, quam Sacrificia Divina
fierent, sub hujus Patroni Nomine DEO grata
Latius eadem extendit,
Sancta INNOCENTII XIII. liberalitas
nempe per eum paris Beneficij
Tota Polonia & Magnus Ducatus Lithvaniæ compos
Sacris NEPOMVCENVM votis dignari non desistit
Verùm Coronidem tot Coronis
Sanctissimus Dominus Noster BENEDICTVS XIII.
felici-

feliciter modernus Pontifex Maximus
voce populi olim Sanctum
talem ipſe vivæ vocis oraculô declaravit.
Ad immortalia tot factorum ſuorum documenta
hoc certè non poſtremum addidit
cùm Famæ Tutelarem
in gloria eſſe per Solennem Canonizationē
demonſtravit.
Sancta hujus Pontificis vox
inter colles Romanos edita
ad Turres noſtras Cracias uſq; refracta
tantos plauſus in gratiam IOANNIS excitat?
quantum Auſtriæ Vienna, Bohemiæ Praga,
& aliæ per Europam Metropoles
vel maximè Auſtriaco debitæ Imperio
geſtiant, conjecite,
pariter omnes uni NEPOMVCENO obligatæ.

Sanctus Sacratiſſimæ Cæſareæ Domus Auſtriacæ erga D. JOANNEM NEPOMVCENVM Cultus.

Euchariſtico Numini ad ſtuporem Orbis Devota Domus,
ob non læſam Sanctæ Cofeſsionis integritatem
Martyri Diviniſſimo addictiſſima,
quòd Eccleſiæ Catholicæ Sacramenta enixe colat

ipſa Myſterium eſt.

à RVDOLPHO Comite Hauſpurgenſi

tot Romanorum Imperatores, tot Hiſpaniarum Reges

Belgij Gubernatores, Auſtriæ ArchiDuces numerans

nec ab hoſtibus vincitur, nec à fatis

Erga IOANNEM NEPOMVCENVM quanto cultu

Leopoldus I. Pater, IOSEPHVS I. Frater ferretur

ex Sacratiſsimo LEOPOLDI Filio CAROLO VI.

Fratre IOSEPHI & Sacratiſsima ELISABETHA.

Romanorum Imperatrice

Conjuge videat Orbis.

Illi pulſarunt Romam, ut Petrus Cælum vel faſtos aperiret

interpoſuerunt authoritatem

ut Caput Orbis annueret

IOANNEM qui fuit, eſſe Sanctum:

ut optimus Chrſtiani Orbis Pater

virtute magis quàm Nomine BENEDICTUS

Beatum IoANEM referret inter Sanctos;

retulit talem dixit

& vota

Cæſaris ac Cæſareæ Auſtriacæ Domus

ſatis abunde benedixit.

Sancta Eminentiſſimorũ Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium Cultûs D. JOANNIS NEPOMVCENI promotio.

Quod

Quòd Orbis Christianus
etiam portis Inferi contra urgentibus non labatur
inde est, quòd bene supra suos Cardines
revolvatur.
Eminentissimi S.R.E. Cardinales sunt
Selecta ex toto Orbe Purpuratorum Patrum Corona
summi Capitis indefessi humeri
Promptæ CHRISTI Sponsæ Ecclesiæ Romanæ
manus
Ex illis est
Eminentissimus Annibal ALBANVS S.R.E. Præsbyter Cardinalis
& Camerarius, Vrbinas Archipræsbyter Basilicæ
Vaticanæ, & Congregationis Fabricæ
Præfectus
suæ gentis decus. Poloniæ gloria & exultatio
nam Protector faventissimus
CLEMENTIS XI. Summi Pontificis Nepos
ut inter tot motus externos internosq; Poloniæ
Cælorum arcuisset inclementiam.
Famæ Patroni IOANNIS cultum
officio & Missà impetratà
per Regnum & Magnum Ducatum Lithvaniæ extendit,
Legatus à Summo Pontifice ad Serenissimum AVGVSTVM
Regem Poloniarum, Saxoniæ hæreditarium Ducem
quid non egit, quid non dextre perfecit
ut in Saxonia Lipsiæ in ipsa planè degenerum
Ecclesiæ Filiorum Patria

Ecclesia Sacris Romanis excitaretur
hanc nobis & augebit Patronus
Exules miremini per ducentos annos Sancti
per ipsum in Saxoniam rediere.
Ceremoniæ ritusq; ab Apostolis, alijsq; Sanctis Patribus
nobis per manus traditæ, ibi rejectæ
denuo Albano instante reassumptæ
Regni Poloniæ Protector, simul fidei ibi Promotor
ubi charitas erga Matrem Ecclesiam
extincta hactenus plorabatur
sed
è pectore Regio & Ducali, fomite Albano
Cardinali, utinam Petri & Patrui Successore
reaccenditur.
Eminentissimi MICHAELIS FRIDETICI ex Comitib9
de Althan S. R. E. Præsbyteri Cardinalis,
indefessa circa IOANNEM solicitudo
omni summa celebrabitur ævô
Posuit in causis cur IOANNES assurgere deberet,
proposuit NEPOMVCENI miracula,
quæ dum Roma stuperet
Sanctos IOANNNI decrevit honores,
Nempe stetit pro Fama IOANNIS ille,
qui qvæ unquam perfecit
effecit ostenditq; secum celeberrima
& totius scitu digna Vniversi

Inve-

Investitura Neapolitana longo tempore
à Summis Pontificibus suspensa,
hoc interveniente
feliciter ad faustum deducta eventum,
quippe summæ authoritatis vir
ut sua Pontifici servaretur fides,
Cæsaris uti Neapolitani Regis nomine
in manus Pontificias reposuit juramentum,
Viennensis Austriæ Ecclesia,
ut supra alias emineret,
Metropolitanam fieri mira activitate
procuravit.
Parum fore ista fecisse in terris existimans
cum ipso egit MICHAEL Eminentissimus Cælô,
ut Sydereus ab ipsa innocua nece IOANNES
in fastos Sanctorum relatus
appareat in æternum triumphantis Ecclesiæ Luminare.

Sancta Serenissimi AVGVSTI II. Regis Poloniarum & Serenissimi FRIDERICI Saxoniæ Ducis, tum Serenissimæ MARIÆ IOZEFÆ Conjugis pro D. IOANNE NEPOMVCENO promotio.

Cognata polo vel Nomine Polonia,

verùm Sanguine Bohemiæ Germana,
Imperij Romano Germanici Archimareſchalco
Sceptra ſua libere regenda concedens,
gaudet eundem
cum Sereniſsima ſtirpe ſua habere pro poli Indigetibus
Interceſsorem
pro quo Lechicæ gentis ſtator interceſſit,
ut Regnum & M. Ducatus Lithvaniæ
ſub NEPOMVCENI Nomine & Sacra celebraret,
& Myſtarum ore officium decantaret.
Paris energiæ preces
Ad Sedem Apoſtolicam Vicariam CHRISTI poteſtatem fuſæ
Sereniſsimi FRIDERICI & MARIÆ IOZEFÆ Auſtriacæ
Ducum Saxoniæ.
Hic pro Zelo erga Catholicam fidem nuper ſuſcepto,
hæc pro Auſtriaco erga NEPOMVCENVM affectu
ſupplicarunt.
Vt pridem debita Sanctitatis Corona
illorum ſæculô NEPOMVCENO poneretur.

Indefeſſus Celſiſſimi Illuſtriſſimi & Reverendiſſimi D. FERDINANDI de Comitibus Khunburg, Archi-Epiſcopi Pragenſis, Legati Nati S. R. I. PRINCIPIS *Sacr: Cæſ: Regiæq; Majeſtatis Intimi Conſiliarij, & Inclyti Bohemiæ Regni Primatis*

matis, necnon CAROLO FERDINANDEÆ Universitatis Pragensis perpetui Cancellarij, tum Peraugusti Capituli Pragensis circa perducendam ad felicem exitum Canonizationem D. JOANNIS NEPOMUCENI labor.

Viderunt Celsissimi Antecessores sui IOANNIS miracula
cùm illa stuperent, moram agendis posuere.
Quò majora ac plura beneficia è Cælis largiebatur IOANNES
eò pene ipso suos honores retardabat
satis suæ Famæ absq; apotheosi providens
cùm alienæ indies per tot sæcula succurrisset
nunc tandem oraculo BENEDICTI XIII.
19 Aprilis Anno 1729.
approbatus Sanctus
Cum Celsissimus Bohemiæ Primas Gentilitios
Pontificijs honoribus adornatos
Campos aperuit.
Nunc inquam suprema Petri potestas ceu lydius lapis
pretiosam in Conspectu Domini
NEPOMUCENI mortem probavit,
Cùm aureos Archi-Præsul Pragensis vibravit globos,
cui satis ad triumphum suppetet
dum quod alij solum de IOANNE in votis habuere
ipse feliciter videt in effectu.

Sub tessera D. VENCESLAI Ducis, & Martyris Bohemiæ
militans DEO, militans Ecclesiæ
Capitulum peraugustum Pragense
iam vicit, dum Sanctum esse NEPOMVCENVM
dexterrimè evicit.
Præcipua in hoc solicitudo fuit
duorum Pragensium Prælatorum.
Perillustris & Reverendissimus LVDOVICVS Steter
Canonicus Cathedralis Pragensis
sublevationem Reliquiarum, extensionem Missæ
& officij pro Regno Bohemiæ obtinuit,
Illustrissimus & Reverendissimus
IOANNES RVDOLPHVS SPOREK Episcopus
Adratensis, Canonicus Cathedralis Pragensis
Ipsam Divi Apoteosim
eventu perquam felici coronavit

Sanctus Celsissimorum Pontificum, & aliorum Procerum Regni Poloniæ, tum Prælatorum erga D. JOANNEM Zelus.

Ab Vniversali Ecclesia pro Sancto IOANNES susceptus,
communi id exposcebatur votô
non cessit alijs Regnis nostrorum Pontificū
ac Procerum pietas imo seriò institit
ut & Sacer cultus NEPOMVCENO ferretur, & idem
San

Sanctus vocaretur.

Celsissimus Illustrissimus & Reverendissimus Dominus THEODORUS in Potok *POTOCKI, Archi-Episcopus Gnesnensis, Legatus Natus Regni Poloniæ & M. Ducatûs Lithvaniæ Primas primusq; PRINCEPS.*

Sedi Apostolicæ supplicem se dedit ut Regnum & Magnus Ducatus Lithvaniæ missâ & officiô coluisset IOANNEM.

Celsissimi Illustrissimi & Reverendissimi D. CONSTANTINI FELICIANI in Szaniawy *SZANIAWSKI, Episcopi Cracoviensis Ducis Severiæ, almæ Universitatis Cracoviesis Cancellarij candor.*

ut INNOCENTIAM IOANNIS reddat manifestam præter innumera pietatis documenta Processum exhibuit ut Solennior Divi in Vrbem Cracoviam eveniret

Introductio.

tanto D. Indigetis plausu adest Ducalis Eques CZARTORYSCIVS

Celsissimus & Excellentissimus Dominus,
JOSEPHUS CZARTORYSKI,
Vexillifer M. D. Lithvaniæ singularis hujus Patroni Cultor.

Cùm Cæli sint eidem favorabiles, ille impensijs
ut in IOANNEM gratiosus.
Inter pios manes versatur quidem
In præsenti tamen sæculi nostri manet memoria;

Celsissimus olim Illustrissimus & Reverendissimus Dominus CASIMIRUS à Lubna *ŁUBIENSKI, Episcopus Cracoviensis Dux Severiæ.*

sub cujus olim Pastorali cura
NEPOMUCENUS in Orbe Cracio crevit cultus.
Reflorescit hic Roseus Præsul.

Illustrissimus olim & Reverendissimus D. MICHAEL in Słupow *SZEMBEK, Episcopus Paphensis Suffraganeus Cracoviensis.*

Erga omnes Superos pius, in hunc præcipuè devotus;
Ponderosum est pretium IOANNIS
igitur in stateram venit.

Illu-

Illustrissimi & Reverendissimi MICHAELIS KUNICKI, Episcopi Arsinoensis, Suffraganei Cracoviensis, Sancti NEPOMUCENI Cultui Altare dedicavit.

Totum peraugustum Capitulum Cracoviense;
Pretiosæ speciosæq; Diœcesis Gemmæ
Mytris Tyarisq; aptissimæ
erga IOANNEM satis candidæ
e quarum numerosa serie

Perillustris & Reverendissimus Dominus M. JOANNES LUKINI, Juris Utriusq; DOCTOR & PROFESSOR, *Canonicus Cracoviensis.*

Ecclesiastici & Literarij Orbis decus
D. Themidis fidelissimus Interpres
præmissa olim Statuæ hujus Sancti benedictione
bene sentire & dicere non cessat de IOANNE,
ad ipsum hujus Solennis actûs initium
ex Sacra D. ADALBERTI exedra
pro laudibus D. MARTYRIS disertus.

Devota Almæ ac Celeberrimæ Universitatis Cracoviensis erga D. IOANNEM NEPOMUCENUM propensio.

Alma Studiorum MATER Vniverſitas Cracovienſis
ex proprio voto
Tuæ Solennitati Studioſa plaudendi,
Semper Te magnum æternæ Sapientiæ Alumnum
Sanctarum virtutum Magiſtrum,
& cunctarum Scientiarum domicilium profitetur.
Cui Martyria inſignito laureolâ
ſuas Scientificas proſternit laureas
In triumphalem Sanctæ Canonizationis Coronidem
propriam cum Sceptrifera Cruce
Tibi o magne DOCTOR ſubmittit Coronam,
ut illi in indita regnanti Fama
Singulare protectionis Tuæ præbeas patrocinium.
Ad Poloniæ Incolas D. MARTYRI addictiſsimus
in Vrbe Vrbium reſidens pertinet
quà eruditione, quà rerum agendarum dexteritate
Prælatus digniſſimus

Perilluſtris & Admodum Reverendus D.
PETRVS ROBERTSON, Canonicus
Regularis Sancti Spiritus de Saxia. Ar-
chiHoſpitalis in Vrbe Romana
PRIOR digniſſimus.
quò Sedi Apoſtolicæ propior
eo pro honore IOANNIS promovendo ardentior
ejuſdẽ cum Patria, Cracia nempe Vrbe
Senſus & affectûs ſingularis ſolicitudo
ut non

ut non aliter ab Orbe Polono IOANNES colatur
nisi Sanctus.

Devotum Nobilissimi Magistratûs Cracoviensis, totius Metropolis, & Confraternitatis Literatorum erga D. JOANNEM NEPOMUCENUM piæ gratitudinis officium.

Vt ad Septicolis Romæ montes
resonuit Sancta Pontificis de IOANNE vox,
illico ad Turres Cracias refracta
in plausus addictam IOANNI excitavit Vrbem:
Regia expandit alas Aquila
ut Sanctum recipiat, qualem ab ipso Tonante exposcebat;
Cui in Circulo sui Vrbs clarissima præfixit locum,
ut ad ipsum omnium Civium vota colliment commodiùs.
Patres Patriæ digna tanto Senatu Nomina
Viri de Civibus selecti
pro susceptis suscipiendisq; à IOANNE gratijs
& pretiô & precibûs erga eundem effusi,
quam tamen Introductionis magnificentiam
spectator videt oculus,
adscribat industriæ & indefessæ solicitudini vestræ
quinimo semel cæptæ, & nunquam desituræ
erga Divum NEPOMVCENVM pietati.
Nondum IOANNES Sanctus, & Sanctè in D. ADALBERTI
ædibus à vobis cultus
Missarum frequentia, Altaris pro captu hujus Templi Magnificentia
pro Decreto Canonizationis Solennis gratiarum actio

ac tandem præſens plauſibilis
& futuris temporibus memoranda Introductio
Veſtra activitate comparet
in honorem Martyris Diviniſsimi manifeſta
Dicata Cultui Mariano Confraternitas Literata
pridem hujus Templi inquilina
D. Martyris Socia
Ad auroram ſolis Iuſtitiæ MARIAM
etiam ſydera admiſit IOANNIS
ut clariùs in medio Vrbis
lux ipſius devotionis
tam coram advenis, quam coram Indigenis
coramq; omnibus luceat hominibus;
ab hoc Metropolitanæ Vrbis centro
prodeat indies qua latepatet in totam Poloniam
Divi IOANNIS NEPOMVCENI
Annò Domini MCCCLXXXIII. 16. Maj.
è Ponte Pragenſi
pro non violato ſed ſervato Sacroſanctæ Confeſsionis ſigillo
à VENCESLAO Bohemiæ Rege præcipitati
Martyris
Annô verô 1729. die 19. Martij vivæ vocis oraculô
S.D.N. BENEDICTI XIII.
Sacra Apotheoſi donati
FAMA, Triumphantis
SANCTIMONIÆ.

(§oS§)